



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 73. Urgetur Eugenii Papæ exauctoratio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

electus fuerat, purpura decoratus est. Sæcul. XV.  
A.C. 1439.  
Verum jussu Arragoniæ Regis Domini  
sui Archiepiscopalem sedem repetere co-  
actus fuit, ubi etiam pestilentia morbo  
correptus obiit, anno Salutis millesimo  
quadringentesimo quadragesimo quin-  
to (\*).

## §. LXXIII.

*Urgetur Eugenii Papæ exaudito-  
ratio.*

Eadem hac Congregatione die vigesima  
tertia Maji celebrata Oratores Prin-  
cipum, qui decretum approbaverant, mul-  
tis precibus institerunt, ut Basileenses  
sententiam adversus Eugenium Papam  
differrent, & in tertium Concilii locum

K k 3 con-

(\*) Dixisse sufficiat, hunc Panormitani tra-  
ctatum ad indicem librorum prohibitorum re-  
jectum fuisse. Cum vero Panormitanus eo-  
dem hoc anno in Concilio Basileensi depositio-  
nem Eugenii tanquam a Presbyteris, exclusis  
fere Episcopis attentatam reprobaverit, & in  
quæstione l. num. 19. (quæ ad calcem suorum  
operum editionis Lugdunensis Ann. 1551 repe-  
ritur) disertis verbis dicat: *Papa a toto Clero  
& populo, & Imperatore judicari non potest,*  
plane dicendum videtur, aut hunc tractatum  
Panormitano perperam adscribi, aut illum sum-  
mæ inconstantiæ reum fuisse.

Sæcul. XV.  
A. C. 1429.

consentirent. Ast illi Oratorum votis nulla ex parte annuendum rati, reliquis quinque conclusiones confirmare haud dubitarunt. Quinimo insuperhabitis sexaginta dierum induciis, quas inter Eugenii depositionem, & novi Pontificis electionem interponendas paulo ante promiserant, mutato derepente consilio, Eugenium in jus vocarunt, atque in proxima sessione comparere jusserunt, nec ipsis quoque Principum legatis quicquam obliquantibus. Quapropter ut citationis decretum ad valvas Ecclesiæ affixum effectui darent, sequentem indixerunt Sessionem, in qua denique ipsum summum Pontificem exauctorarunt. Equidem *Aeneas Sylvius* hujus depositionis historiam enarrare, ad calcem primi sui libri spondit, sed in secundo libro hac super re altum tenuit silentium, atque a *Basileensium* consiliis pro electione *Amadæi Sabaudicæ Ducis* excogitatis narrationis suæ exordium petiit. Ex pluribus tamen locis ejusdem Scriptoris elucet, quod secundum de hac depositione librum conscripserit, & liber, qui nunc secundus inscribitur, tertius fuerit; haud temere igitur hunc commentarium perisse conjicimus, cujus tamen jacturam quodammodo sarcire videntur acta *Augustini Patricii*, qui descriptam Eugenii depositionem ad posteros transmisit.

§. LXXIV.